

CERTAMEN CAPITOLINVM LXXV

OMNIBVS PROSAE LATINAE ORATIONIS LATINORVMQVE CARMINVM

STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM

A. MMXXIV

INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensas adiuvantibus Romanae civitatis Magistro itemque Administro humano civilique cultui fovendo, ad novum Capitolinum prosae Latinae orationis Latinorumque carminum Certamen omnes ubicumque gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erunt sigillum lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen ac certaminis annum diemque praefrens, et diploma. Huic muneri quadringenti Eurodenarii adiciuntur.

Qui victori proximus de agone discesserit, nummo decorabitur. Huic muneri ducenti Eurodenarii adiciuntur. Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur.

Scripta, quae praemio ornata sint, Institutum Romanis studiis provehendis in suo interretiali situ proponet; auctoribus autem post annum tantum eadem in lucem edere integrum erit.

Institutum Romanis studiis provehendis ad hoc prosae Latinae orationis Latinorumque carminum certamen etiam scholarum discipulos iuvenesque omnes in Vniversitatibus studio deditos invitat. Ex iis qui primus de agone discesserit, diplomate ornabitur. Cui centum Eurodenarii adiciuntur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, Romanae civitatis Magister in aedibus Capitolinis renuntiabit.

LEGES CERTAMINIS

I) Fictis fabellis, animi adfectuum vocibus, de humanis fati cogitationibus, commentariolis historicis, disputationibus philologis, omni denique prosae eloquentiae vel carminum genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata vel laude, neve ex alio sermone sint conversa. Petitores omnes licebit certamen adire uno libello.

Doctorum virorum libelli soluta oratione conscripti ne mille et quingentis verbis sint breviores; adolescentium iuvenumque autem libelli ne mille breviores sint verbis.

Poetarum carmina ne minus quinquaginta versibus constent, quolibet metro intextis.

Praemium vel laus non illis deferetur, qui e vita excesserint. Praemia non tribuentur ex aequo.

II) Tria opusculorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue impressa vel instrumento computatorio expressa vel typis excusa et tabelliariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad *Istituto Nazionale di Studi Romani - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - 00153 Roma* ante Kal. Febr. anni MMXXIV.

Quoad studiosos homines, auctoris nomen neve in exemplari neve in involucro cursuali adpareat, sed exemplar sententia sit munitum, quae eadem inscripta sit parvo obsignato integimento scidulam continenti auctoris nomine, domicilio, telephonico numero, electronici cursus inscriptione notatam.

Discipuli vero libellis nomina domiciliaque subscribant ac tabellam adiciant, in qua scholae vel Vniversitatis ordinis Praeses fidem faciat discipulum, qui ad certamen sit descensurus, vere scholae illius vel Vniversitatis ordinis auditorem esse.

III) Tres viri iudices erunt a Romanae civitatis Magistro, ab Administro humano civilique cultui fovendo et ab Instituti nostri Praeside delecti.

Hi post iudicium parva integimenta resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferrant. Scripta non probata, si repetita, reddentur; sin minus, una cum integimentis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, igne delebuntur. Eodem temporis momento discipulorum scripta, quae auctores non repeterint, igni committentur.